

[Envoi d'un exemplaire des Thèses de théologie qu'il a soutenues
au Collège de Navarre le 23 mai 1602]

[F. B. 5, Adresse et date au verso de la réponse.]

~~DEO OPTIMO~~.Deo Opt.Max. V. Q. M.

5 Quaestio theologica.

Quod semen Dei, quod Spiritus Sancti atque haereditatis nostrae pignus?

Gratia divina (quam negare, aut actus supernaturales, Pelagianum est) in genere, donum supernaturale, gratis homini concessum eique necessarium ut beatitudinem consequatur, non malè finitur

10 ~~ITA~~ Ita porrò necessarium ut sine eo veritates supernaturales non solum, sed et naturales omnes tum speculativae tum practicae cognosci certo nequeant: Bonum aliquod morale sine illo speciali gratiae auxilio fieri quidem potest, sed non quicquid ipsa lex naturae sive quoad modum, sive quoad substantiam praecipit, multo minus
15 diligere Deum super omnia, vel ipsa charitate naturali.

De fide est auxilium gratiae, quò primo iustificamur, esse merè gratuitum, et ad quemlibet actum supernaturalem, tum quoad modum, tum quoad substantiam per modum concursus et principii simpliciter necessarium est. Per hanc gratiam mortalia, non autem venialia omnia ordinariè vitantur: Ut quis divinum hoc semen diu atque adeo in finem usque conservet (quod in cuiusvis est potestate) actualibus auxiliis saepius collatis indiget. A peccato resurgere, aut iustificari sine actuali auxilio nullus potest.

25 Si vero gratia realiter à charitate distincta asseratur essentiae animae quasi subiecto inhaerebit. Si cum hac virtute idem esse dicatur (utrumque enim defenditur) voluntati inerit. Actus supernaturales meritorii quicumque liberi sunt; nec, nisi cum libertate indifferentiae elicerentur, meritorii essent. Error est libertatem huiusmodi non admittere, quae quidem potestatem agendi et non agen-

/ di, positis omnibus ad agendum requisitis, etiam in sensu composito includit.

Libertas ab intellectu originem ducens, formaliter in voluntate consistit; haec facultas est libera, activa, dominaque suorum actuum; 5 quorum liberum in nobis suum negare, haereticum est. Qui ~~evoluntatem~~ liberam obiectivè vel passivè tantum, ut ad hoc nimirum vel illud determinetur, defendit, libertatem e medio tollit; nec in ulla potentia passiva, ut sic, cadit suae passionis libertas: potest voluntas à Deo necessitari, à quo in esse, conservari, omnique actione dependet.

10 Praeter concursum generalem, quo voluntas à Deo conservatur et quo una eademque actione unum eundemque effectum comproducit, distincto alio influxu ex vi subordinationis non indiget, qui eam excitet, inclinet, praeparet, prius natura moveat, vim eius agendi perficiat, consumet, ad agendum applicet, vel determinet, sive quippiam imprimen- 15 do, sive extrinsecus tantum movendo; qui aliud opinatur libertatem illius e medio tollit.

Non modo ad deformitatem et malitiam moralem, quae actum realem sequitur, Deus voluntatem non praedeterminat, sed neque ad ipsos actus malos et peccata, quencumque tandem ob finem, efficienda inducit; 20 immò nec actus malos quoad materiale ab illo praefiniuntur, alioqui author esset peccati, propter quod et iniustè hominem puniret; ipsos actus bonos moraliter non praedeterminat, quos tamen salva libertate potest praefinire; ac licet non praefiniat, sartam tectam nihilominus et perfectam retinet providentiam.

25 Sacrae Scripturae septem gratiarum genera disertè pronuntiant, quorum potissima divisio est in sufficientem et efficacem. Sufficiens est, qua omnes homines converti ad Deum et salvari de facto possunt, si obicem non posuerint; non datur omnibus momentis, ut à peccato resurgamus (in Deo nulla esset iniquitas, licet nunquam largiretur) at 30 nullo deest tempore ad peccata vitanda, nec de quoquam donec vixerit desperandum; praescindit vero haec gratia ab actuali effectione eiusque negationem includit, sed ex voluntatis libertate, non auxilii in-

1 / sufficientia. Gratia efficax, qua quotusquisque donatus est, salvatur; et sine qua nullus beatitudinem adipiscitur, ex solo Dei beneplacito electis tribuitur.

5 Efficacia eius non consistit in antecedenti motione, quae omnino liberam nostram cooperationem antevergens et nullum ad illam dicens ordinem, ita sit de se efficax et ex natura sua ut praedeterminet physice voluntatem ad consensum, sitque adeo impossibile ea posita sequi dissensum, vel non sequi statim voluntatis consensum; ita quippe ruit liberum arbitrium, gratia sufficiens extinguitur, redemptionis mysterium ipsaque religio funditus evertitur, in Deum peccata refunduntur, 10 merita et demerita destruuntur, praemium et poena radicitus extirpantur. Est verò gratia efficax in actu primo nihil aliud quam ipsa praeveniens gratia, qua homo, antequam convertatur, illuminatione et inspiratione excitatur, movetur et trahitur ut infallibiliter consentiat.

15 In actu secundo est ipsamet gratia praeveniens, sive vocatio Dei, quatenus unà cum libero arbitrio per gratiam adjuvantem cooperante efficit conversionem, ita ut in neutra, (et prorsus nulla) harum acceptione, libero influxu voluntatis efficaciam habeat; haec porrò efficacia in vocatione congrua, supernaturali scilicet et vitali motione interna inspirationis et illuminationis consistit, quatenus subest directioni efficacis voluntatis et infallibili scientiae Dei, qua futura conditionata infinito mentis acumine penetrando, immediate veritatem determinatam cognoscit, quae in ipsis est aut concipi potest. Rec 20 tissime haec scientia Media vocatur, atque ea sublata, providentia Dei infirmatur, praedestinatio et efficacia gratiae concipi nequeunt, nec 25 cum libertate arbitrii conciliari potest concursus divinae gratiae, quae est semen Dei, Spiritus Sancti atque haereditatis nostrae pignus, I Ioan. 3, 2 Cor. 1, Ad Eph. 1

30 Has veritates theologicas (Deo duce) propugnabit Antonius Rose episcopus Sylvanectensis Iuris utriusque et Sacrae Theologiae doctor Parisiensis in Regia Navarrae, 23 maii ann. Dom. 1602.

Reimprimatur Neapoli apud Tarquinium Longum MDCLL, iuxta exemplar editum Parisiis, ad autographum ibidem... subscriptum.

[Rome, Biblioth. Vitt. Em. Ms. 2807. Gesuit. 678]